ARCHIATRO COELESTI
AUSPICE & DUCE
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.
De
HYDROCEPHALO,
Quam
Iuſſu & Authoritate
COLLEGII MEDICI TUBING.
Sub Præſidio
DN. JOH. CUNRADI BROTBECKII,
Phil. & Med. Doct. utriusque Profeſſ.
Fac. Med. p. t. Decani.
Pro Doctoralibus in Facultate Medica Honoribus, Privilegiis ac immunitatibus ritè legitimèque conſequendis.
Solenni ac publico Examini ſubmittet
M. JOHANNES BUTZ, Vlmenſis.
In Aula nova,
DIE APRILIS.
Horis conſuetis.
TUBINGÆ,
Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI,
ANNO MDCLXI.

VIRIS

Strenuis, Magnificentiſſimis, Nobiliſſimis, Prudentia & Authoritate Clariſſimis, Conſilio, Humanitate, omnique Virtutum genere Ampliſſimis.

DNN. SENIORIBUS, CONSULIBUS, CÆTERISQUE INCLYTÆ REIPUBLICÆ ULMENSIS SENATORIBUS SPECTATISSIMIS, DIGNISSIMIS;

PATRIBUS PATRIÆ MERITISSIMIS,

DOMINIS atq; PATRONIS SUIS ſubmiſſa animi reverentia colendis,

Diſputationem hanc Inauguralem

in

Cultus officioſiſſimi

&

ſubmiſſæ obſervantiæ Teſtimonium

dedicavit & conſecravit

AUCTOR.

Procemium.

CApur humanum maximã quidem habet dignitatem & Principatum quaſi totius corporis obtinet, cum ſit mentis arx & domicilium, ac facultatum principum ſedes ac receptaculum, ita ut natura providens, omnes induſtriæ ac ſapientiæ theſauros in eo depoſuiſſe videatur: Non minus tamen ac reliquæ corporis noſtri partes plurimis periculis ac injuriis obnoxium atque expoſitum eſt: imo præ cæteris graviſſimis ſæpe conflictatur affectibus id quod non ſolum integer Medicorum chorus ac ingens librorũ d cap. morb. conſcriptorum farrago, verum etiam quotidiana experientia abunde ſatis teſtatur. Ut ut enim inter cœtera animalia homines plerunq; naſcantur capite grandiori aut majori, reliquis totius corporis membris, ſæpius tamen ob collectionem ſeroſi humoris, pueri in lucem prodeunt

ita morboſa capitis magnitudine, ut Medici conſilio & ope ſit opus. Interdum quoq; extra uterum variis ex cauſis, etiam adultiores hoc contrahunt malum. Quapropter non abs re me facturum arbitror, ſi de hoc affectu, licet non frequentiſſimo, periculoſo tamen, ac ſæpius funeſto, pro hoc tempore agam, ac in ea, quæ ad ejus dignotionem ac curationem ſpectare videntur, paulò accuratius inquiram, inquiſita verò placido Philiatrorum examini exponam: quod dum facere incipio.

I. VIdeo malum hoc Græcis ὑδροκέφαλον dici teſte Corn. Celſ. *d. Med. libr. 4. cap. 2. Sennert. libr. 1. prax. part. 1. cap. 27.* ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ τῆς κεφαλῆς: Commune quidem, ſed conveniens admodum vocabulum, cum & cauſam & ſubjectum, ſolito pro more hujus linguæ eleganter ſatis, includat. Hipp. ὕδωρ ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ *lib. 2. d. morb.* dicitur. Latinis plerumq; hydrops capitis appellatur, etenim hæc ægritudo nomen adepta eſt propter ſimilitudinem, quam habet cum hydrope, ut aſſerit Hier. Merc. *lib. 1. d. morb. puer. cap. 4. Haly Abbas* Apoſtema intercutaneum, *Avicenna* aquam extra cranium nominabat, ut conſtat ex Foreſt. *lib. 8. obſ. 29. Capivaccius* affectionem hydrocephalam, alii aliter, (cum nomina valeant ut nummi) non immerito appellant. Germani commodo vocabulo quo exprimant hunc affectum videntur deſtituti, niſi nominare velint wäſſerige Haupt-

Geſchwulſt

Geſchwulſt / aut Latinos imitantes Kopff- oder Haupt-Waſſerſucht.

II. Nam affectio hydrocephala ſeu hydrocephalus eſt tumor capitis à ſeroſi humoris in aliqua membrorum caput conſtituentium parte collectione, exortus.

III. Exinde deducimur in notitiam & cognitionē 1. ideæ morbi. 2. ſubjecti. 3. cauſæ morbificæ. 4. modi fiendi. Nam 1. *Idea morbi* poſita eſt in tumore, qui plerumque ex intemperie, mala conformatione & ſolutione continui compoſitus perhibetur morbus, Frambeſar. *disput. 3. ſch. med. pag. 85.* In ſpecie verò ad naturam œdematis refertur, quia in hoc tumore fere eadem conſpiciuntur, quæ in œdemate vero viſuntur, ut habet Cl. Hafenrefferus pie defunctus *lib. 4. de cutis affectibus, c. 2.* in eo duntaxat differendo, quod in hoc laxus magis ac mollior, quam in œdemate legitimo appareat tumor.

2. *Subjectum* eſt aliqua membrorum caput conſtituentium pars: læditur enim caput nunc ſecundum unam partem magis, nunc ſecundum aliam, quia non ſemper uno in loco ſeroſus ille humor colligitur. Eſt n. modo intra calvariam ſitus, idque vel ſupra meminges vel inter membranas & cerebrum, modo extra ipſam calvariam, idque vel ſubtus pericranium, vel ſupra ipſum, & in medio ipſius & cutis capillatæ & craſſæ. Nec excludit *Aetius* alium locum, qui eſt inter cutem & muſculos temporales: nonnunquam talem humorem in ſubſtantia cerebri medullari colligi, teſtatur Ludov. Merc. *libr. 2. d. puer. morb. & curat. cap. 19.* Quinimo interdum in toto capite talis humor invenitur, repletis etiam ipſis cerebri ventriculis, quod Fab. Hild. in hydrocephalorum diſſectionibus bis obſervavit, quodq; ulterius confirmat Veſalius *d. corpor. human. fabr. libr. 1.*

 cap. 5.

cap, 5. ut ex eo refert Sennertus *libr.* 1. *prax. p.* 1. *cap.* 28. Neque hoc omnino negandum videtur, cum peculiare ſit illis aquoſis humoribus, ut relictis locis planis ad cava labantur, licet interim verum ſit, quod quando humor intra cranium collectus, præcipitetur in eas cavitates, morbus evadat complicatus, & vel Apoplexiã, vel Epilepſiam, lethargum aut ſimile quid inducat, ut probe monet Capiv. *libr.* 1. *prax. cap.* 29. Hinc ſine dubio, aqua in cerebri ventriculis eorum, quorum prædicti Authores faciunt mentionem, collecta, non ſolum graviores morbos, ſed & ipſam mortem inferebat.

3. Ut *cauſa* vero accuſantur ſeroſi humores, quorum nomine non aquam ſaltem puram ac limpidam, ſed modo magis, modo minus cruentam & feculentam cum Sennerto complector, pro ut ſcil. plus de hoc vel illo humore participat, ita ut ſecundum ſpeciem humor hic ſit vel ſincerus vel miſtus cum alia materia. Neque tamen propterea nomenclatura Græcorum non erit congrua, cum omnis humidi baſis ſit aqua. Uterque autem tam ſincerus quam miſtus *humor peccare poteſt*. 1. Subſtantia. 2. Quantitate. 3. Qualitate. 4. motu. 5. Loco. *Subſtantia* quidem, quia humores collecti facile putreſcunt. *Quantitate* ſemper peccat, quia eſt cauſa tumoris. *Qualitate*, quia materia illa plerumque evadit viſcida & lenta. *Motus* materiæ ſemper eſt vitii particeps, cum moveatur è vaſis extra vaſa, & ad partem principem ruat. *Loco* denique peccat, quia quieſcit in morboſa ſede, quæ ſedes eſt in capite, ut in ſuperioribus prolixius fuit dictum.

4. *Modus fiendi* deſcribitur *per collectionem*, quæ nonnunquam tam *transmiſſionem* quam *generationem præſuppoſnit*, & quidem hac ſemper eſt opus, illa vero non item.

niſi

niſi enim humor generaretur, nunquam colligeretur. *Generantur vero humores* aquoſi vel læſa facultate, ob δυσκρασίαν organorum coctioni inſervientium, ac potiſſimum cerebri frigidam nimis ac humidam, vel ob errorem externum, ob immodicum potum aut cibos aquoſiores, nam, utut tali in caſu viſcera ſuo fungantur officio, longe tamen ſunt oneri huic ferendo imparia, nec poſſunt omnino præcavere, quo minus excrementum hoc aquoſum copioſius generetur. *Transmiſſio* vero requiritur, ſi materia non in ipſo capite, ſed aliis corporis partibus generatur, quæ, quia fit per motum localem, inſinuat nobis terminum à quo, per quem & ad quem. *Terminus à quo* poteſt eſſe vel totum vel aliqua totius pars. *Terminus per quem* itidem poteſt eſſe diverſus, probabile enim eſt, per vaſa lymphatica Bartholini talem humorem deferri poſſe, neque ductus ſalivales à Warthono oſtenſi aliud ſuadent, ſed quia eorum in cerebrũ inſertionem, felix aliàs Anatomicorum manus nondum detexit, truncum arteriæ magnæ aſcendentem, qui omnibus partibus ſupra cor habitantibus, proſpicit potiſſimum, cum carotidibus ſeu ſoporalibus accuſandum eſſe judico. *Terminus ad quem* patet ex iis, quæ ſupra de ſubjecto fuerunt dicta, ubi tamen notandum, caput diverſimode concurrere; modo enim recipit ſolum, modo etiam attrahit, quod fit ob dolorem interdum ſatis intenſum, præprimis, ſi à cauſa externa dolor excitetur, & humor inter pericranium & craniũ conſiſtat, ut videre eſt ex *Id. Med. pract. univ. Ioh. Iohnſtoni libr. 8. cap. 6.* Recipit vero cerebrum vel aliæ capitis partes materiam hanc morbificam facillime, ſine omni renixu: tanta enim adeſt cerebri labefactatio atque imbecillitas, ut non ſolum major pars nutrimenti ſui pro-

prii in ſerum convertatur, verum etiam excrementa ſeroſa ex infimis partibus recipiat: ſolent enim membra fortiora continuo ad imbecilliora demandare, hinc accidit, quod reliquum corpus hydrocephalorum minime nutriatur, etſi membra nutritioni inſervientia optime & ſecundum naturam ſe habeant, ut Hild. in diſſectionib. quarum *in obſ.10. Cent.1.* mentio fit, obſervabat. Venit porro hæc materia ad cerebrũ, vel ſub ſpecie humorum, vel ſub ſpecie effluviorum, quorum hæc à caliditate viſcerum è materia habili elevantur, & ob frigiditatem excedentem condenſantur, ac priſtinam induunt formam. Ut enim videmus, ubi & calor & humiditas eſt copioſa, copioſiſſimos etiam vapores elevari, & in aquam converti: pari pacto veriſimile eſt, in corpore, infantum inprimis, calidiſſimo & humidiſſimo, copioſiſſima effluvia fieri, quæ ad caput ſublata ibi detinentur. Hæc enim omnia demum inſequitur *collectio*, non enim ſufficit quævis humorum ad tumorem excitandum præſentia, ſed ſufficiente copia colligantur neceſſum eſt, ad quod plurimum facit, virtus expultrix debilis atque oppreſſa cum denſitate cutis, hinc fit, ut materia copioſa & cum impetu tandẽ mota præter naturã venas egrediatur, quæ venæ afficiuntur vel diæreſi vel diapediſi, vel anaſtomoſi, quod inter alios etiam affirmat Franciſ. Hildesheim. *Spicil. 10. pag. 763.* Et hæc venarum vitia cauſam ſæpius evidentem agnoſcunt, dum nimirum obſtetrices imperitæ, duriori manu partium efficiunt attritionem, vel dum circa partum caput nimium comprimitur, unde, ob futurarum recluſionem, venarum oſcula reſerantur, ex quibus aqueus hic humor exudat, & proximam hujus mali cauſam conſtituit.

IV. Huc

IV. Huc alius *artificialis* nempe refertur *fiendi modus*: nam referente Fabric. Hild. *Cent. 3. obſerv. 18. Lutetiæ Pariſiorum puer quindecim aut octodecim circiter menſium ætatis viſus eſt, cui capitis ita erat extenſa cutis, ut capitum infantulorum infra enumeratorum magnitudinem excederet, ita quidem, ut Parentes hujus infantuli illum de oppido in oppidum circumveherent, ac ut monſtrum videndum exponerent, indeque maximum lucrum quæſtumve reciperent, quorum tamen dolum malum prudentia Magiſtratus Pariſienſis detegebat: Poſtquam n. parentes in vincula conjici curavit, quæſtione adhibita, delictum crudele ac impium faſſi ſunt, nimirum ſe cutem capitis infantuli ſui, circa verticem ad muſculos usque incidiſſe, foramine parvo, ac per illud ipſum (intra cutem & muſculos immiſſa fiſtula) inflaſſe, ac paulatim ac intra menſes aliquot (inflando ſingulis diebus aliquoties) cutem capitis infantuli in iſtam extendiſſe altitudinem, cunctisque hinc inde per Galliam quæſtus faciendi gratia, viſendi exhibuiſſe. Foramen autem ea fecerunt induſtria, ut extracta fiſtula, cera, aut aliqua materia illud facile obturare poſſent. Verum, malum hoc conſilium conſultori fuit peſſimum, nefando enim ac immani ſcelere ſatis explorato, Parentes ambo morte mulctati ſunt, ut loco citat. Idem prodidit Author, cujus Authoritas ſit ſalva.* Ego tamen factitium hunc affectum, minime ὑδροκέφαλον, ſed potius ἐμφύσημα κεφαλῆς nominandum eſſe puto; idque quia in relatione hiſtorica nullius humoris fit mentio, quo denegato non datur hactenus deſcriptus tumor.

V. Ex dictis variæ emergunt *differentiæ*: Nam 1. à *quantitate*, alius eſt exiguus, alius magnus, alius omnino monſtroſus, qualem quidem deſcribit Fabr. Hild. *Cent. 4. obſerv. 10.* ubi meminit pueri cujusdam quintum annum nondum prætergreſſi, cujus capitis circumfe-

 rentia,

rentia, pedes Geometricos duos cum ſeſquipede & pollice continebat, altitudo vero ejus erat eadem. Nec diſſimilis eſt hiſtoria, quæ legitur apud eundem. *Cent.3. obſervat. 19.* de juvene octodecim annorum.

2. Pari modo differentia *ab humoris ſitu* ſumitur, & ſic alius eſt ab aqua inter cutem & pericranium hærente, alius ab eadem inter pericranium & cranium conſiſtente, alius ab eadem inter cranium & membranas collecta, &c.

3. Ratione *cauſæ morbificæ* ſumi poſſunt differentiæ, vel quatenus illa differt ſpecie, vel vitio ſeu modo lædendi, vel quatenus differt cauſa generante, quemadmodum jam dictum.

4. *Modus* denique *fiendi* attendere jubet cauſis, non ſolum internis, verum etiam externis, tam evidentibus quam ut ſic loquar, obſcuris: nam in alio colligitur talis humor ſine concurſu cauſarum externarum, quod *Guilhelm. Placentinus* facile admittet, ille enim cum Hip. *lib. d. genitur.* & *in libr. d. natura pueri*, cauſam hujus mali conjicit in infantis in utero poſituram, qua capite inclinato propendeat, faciliusque aquea humiditas ad eum defluat. Quandoq; vero evidens cauſa ſuam quoque confert ſymbolam, ictus nimirum aut plaga, aut alia atque alia partium capitis contuſio. Nec deſunt, apud quos nullum eſt dubium, fortem matris imaginationem interdum præcipuam hujus mali poſſe eſſe cauſam, cujus rei exemplum habet Fabricius Hildanus *Cent. 5. obſerv. 4.*

VI. *Malum hoc* cum figura capitis ſemper vitietur, *per ſe in ſenſum viſus incurrit*, & 1. quidem à *quantitate*, num tumor ſit magnus vel parvus facile cognoſcitur. *Quo* tamen 2. *capitis loco* ſeroſus humor contineatur ex certis

ſignis

ſignis diſcere, ut interdum eſt arduum ſatis, ita ſemper ſumme eſt neceſſarium, non ſolum ad prognoſin, verum etiam ad curationem, ſi quæ ejus ſpes, recte riteque inſtituendam. Sentitur autem tumor mollis, cedens ad digitorum contactum præcipue, *ſi extra cranium* continetur humor, tumor eſt ejusdem ubiq; coloris, (ſi quidem materia eſt ſincera) pellucidus plerunque, ut poſito ex adverſo candela, vel ad radios ſolis capite collocato, aqua conſpici poſſit: dolor interdum eſt vehemens ob copiam hujus humoris cutem vel ſubjectam membranam diſtendentis, hinc fit, ut infantes plorent ac vagiant. Quod ſi vero tumor eſt *ſub calvaria* ipſum os interdum attollit adeo, ut ſuturæ disjungantur, & tumor etiam tunc appareat in capite, teſte *Vid. vid. d. cur. membr. lib. 1. cap. 4.* non tamen cedit, ubi prematur, niſi calvaria ſit prorſus membranea: magnũ inſuper excitat dolorẽ per totum caput, diſtendit frontem, debilitat oculos, ut lacrymæ effluant. In ſpecie, *ſi ſubtus cranium & ſupra meninges aut inter ipſas fuerit*, oculi non clauduntur, & fixo intuitu uni loco adhærent, & frontem habent prominentem. Nonnunquam humor ulterius propagatur, ita ut etiam *in ipſa cerebri ſubſtantia* hæreat, tunc facile cerebrum contingit ſphacelari, cujus naturæ hydrocephalum depingit Hipp. *lib. 2. d. morbis.* Si vero *in medullari* quoque colligitur *ſubſtantia*, interni & externi ſenſus obtenebrantur, & nullum eorum veſtigium videtur in ægrotante manere, ut præclare diſſerit Lud. Merc. *d. puer. morb. & cur. libr. 2. cap. 19.* Et ſane mirum eſſe ait *Sennertus loc. cit.* quod puella illa biennis Auguſtana, cujus meminit *Veſalius*, integris ſenſibus ad mortem usque fuerit uſa.

3. Utut autem ab aliis etiam humoribus inſignis in

capite gigni poſſit tumor, plerumque tamen fit *ab aquoſo*, quem conjicies 1. *ex cauſis*, ob quas contrahitur, & præſertim in pueris qui humidiores ſunt, & capita humidiſſima habent, quod vel ex eo patet, quia ſtatim ac in lucem editi ſunt, caput ipſum nequaquam contineri poſſunt, ut docet Ariſtotel. *4. d. part. animal.* 10. *&* *7. d. hiſt. animal.* 3. 2. *Ex iis quæ proſunt*, humorem illum exhauriendo, aut nocent eundem augendo. 3. Ex *effectis*, quod ubi præmatur ejusmodi tumor, ſentiatur veluti aqua fluitans.

4. Sicq; iſta ſigna apparent, ubi per ſe incepit hic tumor, *at ſi ex contuſione vel percuſſione* provenit, initio quidem rubet, dolet tumor, poſtmodum vero concolor, & ſine dolore evadit; tumor etiam citius excitatur, quam ſi materia ſenſim in partibus coacervetur.

VII. In Proœmio *malum hoc periculoſum ac ſæpius funeſtum* non immerito nuncupavi: ſive enim quis antiquos, ſive recentiores conſulat ſcriptores, artisq; Magiſtros, ſi non omnes, maximam tamen eorum partem de felici curæ ſucceſſu, deſperantem, inveniet. Nam etjamſi aqua extra cranium contineatur, tamen affectus hic non omni vacat periculo, cum adſit magna intemperies, & ætas plerunque tenera, quæ neque morbum neque remedium ſuſtinere poteſt, præcipue ſi aqua ſit copioſa, tum enim lenia medicamenta, parum juvant, fortia vero ætas non fert. Interdum tamen curationē facile recipit, ſi nimirum vitium ſit recens, parvum & prope cutem ut loquitur, *Vid. Vid. l. citat.* Potiſſimum vero imminet periculum, ſi materia quieſcat intra cranium, & colligatur inter meninges & cerebrum, ſimulque ſubſtantiæ vitium contrahere incipiat, tunc enim vitium decreto Avicennæ eſt incurabile, & (ut loqui-

tur

tur *Franciſc. Hildesheim. l. c.* tunc actum eſt de ægri ſalute ut virtute Dei tantum curentur, præprimis ſi gravioribus ſit ſtipatum ſymptomatibus, & vel lethargus vel apoplexia, vel ſpasmus accedat, ob læſionem non parvã, quæ fit in principio nervorũ ac tota nobiliſſima cerebri ſubſtantia, quam livida mors non poteſt non inſequi.

IIX. Nunquam tamen æger plane eſt deſerendus, cum tutius ſit cum periculo (non quidem temerarie) tentare, quam abſtinendo admittere, ut ægrotus certo ad horrida tartara trudatur, maxime cum experientia docuerit, medicamenta, quæ ſunt manus DEI, in deſperatis morbis multoties, miraculi inſtar, operata fuiſſe. *Curam itaque ſuſcepturus*, recto progredietur tramite, ſi indicationibus ſatisfacere conabitur, quod fiet, ſi I. *aquam*, quæ in capite quocunque loco continetur, *evacuet*. II. *ſi præcaveat*, ut illa amplius non generetur. ſi III. *caput roboret.* Ad primum opus habet materia remedii vel ſolum ex pharmacia, vel etiam ex Chirurgia petita. Nam humor, qui paucus eſt inſenſibiliter, per medicamenta diſcutientia, qui vero mltus ſenſibiliter, veſicatoriis, cauteriis, cutis capitis ſectione, erit educendus, nihil tamen tum prohibet, quin cum evacuatione ſenſibili & diſcutientia & exiccantia adhibeantur, uti horum uſum conjunctum approbat *Sennert. l. c.* Antequam vero topica applicentur, ubi opus eſt, ratio totius habenda. Quia vero infantibus vix tuto hydragoga dantur, nutricis corpus, ſi pravis ſcateat humoribus, purgandũ: ſi vero puer ſit tam adultus, ut ſuſtinere medicamenta poſſit, Author eſt Sennertus, ut eidem exhibeatur *mel roſar. ſolut. vel ſuccus irid. & ſambuc.* ſed pauca quantitate & cum *ſyr. roſar. ſolut.* qui etiam eundem in finem ſequentem præſcribit formulam.

℞. *Rad. ireos* ℥vj.
Sem. ſenic.
Aniſ.
Coriand. a. ʒß.
Paſſul. ℥ß.
Coq. in aq. pur.
In colat. in fund.
Mechoac.
Agaric. a. ℥ij.
Col. add. Mell. roſ. ſol. ℥ij.
Doſ. Cochlear, quæ tamen pro judicio Medici & ratione ætatis poterit augeri.

Per ſudorem etiam è toto corpore ſeroſus humor evacuatur, qui promoveri poterit *decoct. lign. Guajac. ſarſ. parill. ſaſſafras.* vel per *balneum ſudatorium. Per urinam* itidem evacuant *decoct. betonic. rad. fenicul. Aſparag. Aniſ. &c.*

His ubi opus fuit viſum, adhibitis, ad *topica mitiora* ulterior fiat progreſſus, ubi præferenda inſenſibilis evacuatio, ut ſecurior, ſenſibili, quæ cute prius decocto conveniente rarefacta, perficitur per medicamenta *exiccantia & discutientia,* ex. gr. ol. rutac. anethin. Caſtor. laurin. Empl. de bacc. laur. &c. *Petrus Foreſtus libr. 9. obſ. 29.* tale adhibet unguent.

℞. *Pulv. Abſinth.*
Chamomill.
Origan. a. ℥iii.
Myrtill.
Roſ. rubr.
Meliloth. a. ℥i.
Ol. Chamomill. q. ſ. ad incorpor. cum pauc. butyr. & cera adject. f. ung.

Poſt inunctionem *Pulver.* ex Myrtill. roſ. Cinamom. Chamomill. inſpergi juſſit, & exoptatum finem feliciter eſt aſſecutus.

Fortio-

Fortioris efficatiæ erit, ſi *cum Melle pulv. ſulph.* tam diu agitetur, donec fiat molliſſimum linimentum. Idem præſtat *aq. calcis* viv. aut *ſpir. vin.* primæ deſtillat. cum parte quart. aq. ſcabioſ. cum ſpongia nova applicata, quo modo etiam *aq. thermales ſulphur.* in uſum duci poſſunt. Vel ℞. *ol. irin.*

Chamomel. a. ℥ijß.

pulv. ireos.

ſulph. a. ℥ij.

Ceræ q. ſ. f. liniment.

Nullum vero eſt Medicamentum quod communi Medicorum applauſu æque probetur ac *limaces*, ſi vel *cum ſuis teſtis* piſtentur & reducantur in formam Emplaſtri, ſecundum *Hartman. prax. Chymiatr. p. 384.* vel ſi in decocto artemiſ. ſtœchadis, calaminthi montan. vel cucum. aſin. vel ebuli coquantur, & calide capiti raſo applicentur. Pari pacto plurimum utilitatis conferunt Errhina, Apophlegmatiſmi, ac ea quæ auribus infundi poſſunt.

IX. Quod ſi vero ne hæc quidem omnia profuerint, *ad Chirurgiam* deveniendum eſſe conſulit urgentiæ ratio. Variis autem utuntur apertionibus, nonnulli enim *cauſticis* medicamentis ulcuſcula movent manantia, alii *uſtiones* in circuitu capitis & variis ejus partibus conſulunt, alii *ſciſſiones* varias ad modum ſcarificationum jubent fieri: Quidam duas aut tres *ſectiones* conſulunt, per quas aqua univerſa effluat. Verum hanc curationem puerorum capita vix perferunt, licet quibusdam prodeſſe poſſit. Inter omnes ea ſalubrior ac tolerabilior exiſtit, quæ *una ſectione* in parte capitis, quæ majorẽ tumorem repræſentat, & in loco declivi facta, aquam educit, non quidem ſubito neque affatim, ſed lente & paulatim; ſi enim confertim evacuetur, non minus periculo id vacaret, quam ſi hydropicorum aq. ἀθρόως evacuetur, cujus rei hiſtoria eſt apud *Guilh. Fabric. cent. 3. obſ. 17.*

Cavebis tamen apertionem juxta muſculum temporalem, donec aqua ad ejus latera decumbat, & tunc in parte diſtantiori caute curabis apertionem efficere, quo etiam in caſu ſuadet *Lud. Merc. fontanellam* in altero brachio leviter aperire, ubi compertum fuerit, reliqua medicamenta non prodeſſe.

X. Lon-

X. Longe vero periculoſior eſt *apertio cranii,* ut pulchre demonſtrat *Fabric. Hild. cent. 3. obſerv. 17.* nam ſi quis illam aquam, quæ in ſubſtantia cerebri eſt collecta, evacuare tentet, Meninges ſimul & ſubſtantiam cerebri ut incidat, neceſſum eſt: Hæc autem absque mortis diſcrimine fieri non poſſe, etiam tyrones norunt: Hinc etiam factum eſt, ut *Lud. Mercato* nunquam viſum fuerit id tentare, aut cranium perforare, utut illud admittat *Hipp. libr. 2. d. morb.* At dices: Anne ergo deſerendus erit æger? Non, cum ſatius eſſe videatur, *fontanellam in occipitio* aperire, quam vel craniũ perforare, vel ægrotum omnino delerere.

XI. Secundæ vero *indicationi* quivis facile occurret, præſidiis ex fonte Diætetico & Pharmaceutico deſumtis, & quidem ſi puer lacte adhucdum materno utatur, *nutrici* præſcribatur, *ut parce ac tenuiter vivat,* ſiccantibus ac aromatiſatis utatur, humectantia fugiat, parum admodum bibat, interea tamen *alvus ſemper libere fluat,* ad quod obtinendum utatur mane, cum modico *aq. cinamom. mell. roſac. vel paſſulis vino albo madidis. Aerem* tam nutrix quam ægrotus inhabitent ſiccum, huic vero ſi ætas ferat, idem vitæ regimen præſcribatur, hæc enim δυσκρασίαν viſcerum corrigunt, & futuræ cacochymiæ materiam ſubtrahunt.

XII. Sicque III. tota curandi ratio *per capitis roborationem* complebitur, ad quod perficiendum.

℞. *Caſtor. Rut. a. p. æq. Moſch. gr. aliquot.*

Cum ſucc. ſampſuc. f. pomum quod narib. ægri admov. ſæpe.

Vel poterit fieri *Embrocha,* ex Calamenth origan. puleg. ſerpill. ſalv. betonic. ſavin. meliloth. Chamomel. flor. ſtoechad. anth. aneth. nuc. cup. roſ. ſi in lixivio ex cineribus ſarmentorum confecto, & vino auſtero coquantur: rectiſſime enim etiam poſt aq. abſumtionem aliquandiu poſſunt continuari medicamenta calefacientia & ſiccantia, ut cerebro ſua temperies reſtituatur. Ex internis convenient aq. Cephalic. Lang. Aq. Theriacal. Cephalic. Querc. Aq. Roriſmarini, ſalviæ, Lavendul. Lilii convalium, Pœoniæ, Magiſterium compoſitũ ſeu ſpiritus cranii humanæ eſſentificatus, cranium humanum præparatum &c. paginæ anguſtia plura notare prohibet. Sit igitur

GLORIA DEO.